

- § 7. Cum ei patriae peperci, quam servaveram.
 Multis in locis et in plerisque orationibus prae se fert hanc exilii gloriosam patientiam, quam videri volebat non gravate suscepisse, ne populi dissensio propter se commoveretur. 5
- § 8. Cuius desiderio forum mutum fuit.
 Haec et talia possis aput M. Tullium quasi nimium superbe dicta reprehendere. Quamvis mereatur hoc testimonium tam insignis et nobilis eloquentia, tamen multo rectius fuit moderari huic de sēmet ipso praedicationi, 10 cum aliubi dicat, cum omni <in> re odiosa sit superbia et iactantia, tum ingenii atque eloquentiae multo videri molestissimam. Non potest autem dici forum mutum fuisse eius discessu, ut non ipsius eloquentia videatur in iudiciis omnibus desiderata. 15
- § 10. De te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute expectamus.
 ... congemmatum ex contrario secundum utramque personam, Vatini et suam: sibi et consulatum velociter <delatum et redditam> dignitatem, contra vero huic 20 Vatino et honorem quaesturae post omnes novissimo loco datum et adhuc damnationis eius nutare fortunam. Reus postulatus erat accusatore L. Licinio Calvo.
 Ut aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur. 25